d paruũ. Prior Modus, quo nomine ipſa diapaſon uocat, Dorius eſt, harmonicôs mediatus in a paruo, primus nunc uulgo habet, omniũ Modorũ celeberrimus, à Luciano σεμνὸς, id eſt, ſeuerus, ab Apuleio bellicoſus, ab aliis prudentiæ largitor, caſtitatis effector (ita enim illi loquunt) dictus. Quidam adhuc elegantius ſcilicet, cum moroſe ac curialiter procedere aiunt. Hinc Plato in Lachete Virum de uirtute ac ſapientia dignè, ac ut uirum decet, diſſerentem, cuius ſermo operibus non diſſonat, ἀλωρισὶ loqui putat, non ἰτεσὶ. Sed neq; φρυγισὶ, neq; λυδισὶ. Solam enim doricam Harmoniam eſſe græcam. Quid ſi mihi concedatur rudi iudicio de hoc atq; pręcedenti pronunciare Modis, breuibus me abſoluam. Aio utrunq; Modum uideri mihi populi mores, unde nomina ſumpſere, pulchre referre. Athenienſes ſanè Iones fuêre: Lacedæmonij Dores: illi tametſi iucunditatis amatores, ac eloquentiæ ſtudioſi, leues tamen ſemper habiti ſunt. Lacedęmonij uero bello clari, militari diſciplina ac ſeueris Licurgi legibus conſtricti, tetricos mores à maioribus acceptos diutius ſeruarunt. Ita hi Modi habent. Ionicus in totum ſaltationibus addictus, ſuauitatis ac iucunditatis multũ habet, ſeueritatis propè nihil. Dorius contra Maieſtatem quandam ac grauitatem præſe fert, quam admirari facilius ſit, quàm explicare. Heroicis carminibus aptiſsimus, q̃d ipſe olim iuuenis coràm Maxæmyliano inclyto Cæſare expertus ſum Agrippinę in præſentia multorum principum, non abſq; meritæ lauri (abſit uerbo inuidia) præmio. Finalis huius certe Modi clauis eſt D. quæ & hypodorij, Mediatio autem ut iam diximus in a paruo. Præterea huic modo peculiare eſt ſupra diapaſon ſemiditono exultare cum magna hercle gratia, quod præter Symphonetarum uſum in uulgatis etiam linguæ Celticæ cantionibus uidemus. Sed hoc Aeolius quoq; habet & nonnunquã Hypodorius, ut libro ſequente exemplis declarabitur. Cuius quoniam notiſsimus eſt, unicum dũtaxat ac planum exemplum ponamus, nempe Diuæ Virginis ſalutationem à tota decãtatam eccleſia. Authorem eius ferunt Hermannum Contractum comitem à Veringen cuius mentionem faciemus in ſequentibus. Quanq̃ in ea cantione quidã deſcenſum hypodorij faciant in gementes, Alij in IESVM, ut mixtus uideri queat duorum Modorũ Dorij ac Hypodorij cantus. At nos eum nõ probamus, ſed ſimpliciter Dorij Modi formulã exequemur, ac breuius q̃dem illud, quam ulla decantet eccleſia.

Diuæ

Diuæ Virginis ſalutatio

ad Dorium.



Quod autem ſuperius de Æolio diximus Modo, maximam eum cũ Dorio habere conuenientiam, adeo uerum etiam in hac cantione apparet, in uerbis inquam, miſericordes, & nobis. Quidam etiam plura in his depraauant, ita ut rarum Dorij cantum inuenias, quem non alicubi per ſynemmenon tetrachordum in Aeolium flectãt, quod ſi iudicio fiat, non improbo. At ſi ignauia ac libidine omnia confundendi ac immutandi, non poterit ea res cuiquam cordato placere. Sed ualeat hic error cum cæteris. Nunc ad alterum huius ſpeciei Modum.

De Hypo-